

757860

Petrovics

Introductio in ius publ.
Hungaricae

B. 61.

Am 79.

SZ

3560

IOSEPHI PETROVICSI. C.

INTRODUCTIO

IN

IUS PUBLICUM

REGNI HUNGARIAE.

J. P. 113



VIENNAE

APUD IOH. PAUL KRAUS.

1790.

Hæc si lecta placent, iterum repetita placebunt,
Et poterunt prodesse olim. Non tempora semper
Sorte pari evadunt. Grato modo lumine Phœbus
Emicat: at furuis mox mergitur ille tenebris;
Nec meliore ruunt mundana negotia fato.
Expertus didicit non uno turbine Princeps
Patrius, externusque satis: sapiente futura
Consilio de præteritis euenta juvabit
Metiri, si fors redeant non credita fata,
Ne sese sapiant servato errore Nepotes.

Aurer in P. M.



IN IUS PUBLICUM
REGNI HUNGARIAE
INTRODUCTIO.

§. I.

Felicitatis humanae partem praecipuam in securitate vitae, ac bonorum sitam esse, nemo vllus ambigit. Huius enim gratia factum est, vt in societates ciuiles coirent homines, mis-saque libertatis naturalis parte se communi Imperio subiicerent, cuius vi, et auctoritate tuti, vacuam a metu iniuriarum (a) vitam agerent.

(a) *Hanc ob Causam* inquit Cicero Lib. 2. de off. maxime, vt sua tuerentur homines, Respublicae Ciuitatesque constitutae sunt.

A 2

Nam

Nam etsi duce natura congregabantur, tamen spe custodiae rerum suarum, urbium praesidia querebant. Primarius itaque conditarum Ciuitatum finis felicitatisque humanae gradus est, vitae, bonorumque securitas, cui reliqui omnes, tanquam stirpi, et radici inhaerent: Inde enim commoditas, et iucunditas vitae omnis dimanat, inde humanitas profluit, inde morum, ingeniorumque cultura perfectior nascitur, inde artes optimae propullulant, inde ipsa quoque iustitiae, aequitatisque ratio fortius robur accipit; quemadmodum celeberr. de Martini Pos. Jur. Publ. vniu. c. 1. egregie ostendit cf. Jacob. Bonfadius Annal. Genuen. L. 1.

§. II.

Hunc e statu naturali ad societates civiles transitum, si paulo adcuratius adhibita in consilium ratione perpendas, euidens est, ciuitates, et in his actu vicens summum Imperium, quamquam origine sua diuinum ex pacto subiectionis dimanare, fuisseque proinde in arbitrio populi, ciuilem societatem instituentis (§. 1.) sibine illud retinere? an in alium, et qua lege transferre voluerit? (a)

- (a) Celeber: de Martini l. c. §. 17. 18. 37. 38.
41, 60 et 416.

§. III.

Inde varia rerumpublicarum forma prodiit scilicet democratica, aristocratica, monarchica (a) et iam absoluta, iam temperata (b) cum hac autem non recte faciunt, qui formam ciuitatis mixtam confundunt, quae vere ac proprie tum deum adesse dicitur, quando iura, quae insunt Maiestati, in plura subiecta diuisa sunt, (c) quum contra in regno temperato relicta vni Monarchae maiestate, vsus duntaxat, atque exercitium Imperii ciuilibus certis legibus (d) circumscribitur.

- (a) Cel. de Martini l. c. §. 9. 323. 324. et 417.
(b) Idem l. c. §. 391.
(c) Idem l. c. §. 397.
(d) Idem l. c. §. 395. Daniel Maichelius de Ciui-
saluber, Instituto, deque sum, Imp. iustis limitibus
Tubingae 1745. 4.

§. IV.

Leges, quae Imperii ciuilibus habendi, et exercendi modum determinant, atque iura imperantium et parentium definiunt (§. 3.) adpellantur fundamentales. (a) Has populus cum Imperante per modum bilateralis pacti constituit. (b) Respiciunt enim illae familiam populi, et larem, respiciunt Principis Sceptum, fasces, supremam in Republica dignitatem, adstringunt populum Principi, Principem populo, illum ad obsequium, hunc ad defensionem, munus vtrunque reddunt sanctum, et nexum inter eos conciliant arctissimum. (§. 1.)

(a) Cel. de Martini l. c. §. 324. Abr. Jacob Oertel in meditationibus de Jure pub. vniu. et part. Altorf. 1743. 4. Vorbereitung zu einem neuem Lehrgebäude des deutschen Staatsrechtes Wien 1779. 8. c. 1. §. 1. seqq.

(b) Cel. de Martini l. c. §. 239. 266 et 417. Conradus Wucherer diff. de legibus fundamen. §. 10. seqq. conf. Grotius de J. B. et P. L. 2. c. 14. §. 9.

§. V.

An autem leges fundamentales initio tantum, dum populus Imperantem desigit, et summo se subiicit Imperio, condi debeant? vel etiam postea ferri possint? quaestio est inter Iuris publici Interpretes agitata. Ulricus Huberus putat, leges fundamentales in fundando Imperio ante plenam eius translationem stabiendas esse, (a) vt iuxta eas Respublica regatur; Conradus vero Wucherer (b) eas etiam post translationem summi Imperii constitui posse, propugnat; cui quidem sententiae nos quoque adstipulari cogit veritas, exemplis ab eo adlatis illustrata. Quid enim si Rex ultro post susceptum Imperium in pacta descendat, quibus potestati suae detrahi patiatur? quid si populus in ciuitate, in qua successio mixta obtinet, iuri suo Imperantem ex certa familia eligendi, sponte renunciaret? atque consentiat, vt in locum defuncti citra vllam electionem semper primogenitus in Imperio succedat? aut vbi mares solummodo admittebantur, foeminis quoque successio tribuatur? — Anne istiusmodi, aliaeque his similes conuentiones, licet post translationem Imperii, mutuo tamen Imperantis, et populi consensu conditae, vim legum fundamentalium

non habebunt? Nemo istud, quantum nos quidem perspicimus, inficiabitur hodie.

(a) Lib. 1. de Iure Civ. sect. 3. c. 5. §. 21.

(b) l. c. §. 3.

§. VI.

Ex complexu iurium obligationum, et legum, quarum exactam in ciuitate obseruationem socii, Imperantes quippe, et subditi (a) sanctissimo pactorum vinculo definiunt, (§. 4.) Oritur ius publicum civitatum, cuius gemmina est species, ius nempe publicum *vniuersale*, et *particulare*. (b)

(a) Celeb. de Martini l. c. §. 11.

(b) Idem Exerc. de lege naturali §. 220. Ioh. Iac. Mascou. proleg. iur. pub. Rom. Ger. edit Lips. 1769. §. 4.

§. VII.

Vniuersale complectitur generalia iuris naturae, et ex ipsa ciuilibus societatis natura, et sine deducta principia, de iuribus, atque officii Imperantium, ac subditorum mutuis,
de-

deque prudenti eorundem ad publica totius ciuitatis negotia applicatione. (a)

(a) De Martini l. c. §. 45. Mascov. l. c. §. 5.

§. VIII.

Vnde nullo negotio intelligitur in deducendis, atque ad publica ciuitatis negotia applicandis impéantium, et subditorum officiis primum quidem ad communem illam naturae legem, (a) tum vero finem ciuitatis (b), ac tandem ad publicam, qua nobilissimus coetus iste ciuili coaluit, sponsonem (c) tanquam ad vberimos omnium officiorum ciuilium fontes recurrendum esse. Ex his enim fontibus omnem iurisprudentiae publicae vniuersalis (§. 7.) ambitum dimanare tam certum est, vt post praestitas alibi demonstrationes ampliorem istud hoc loco non requirat probationem.

(a) Cel. de Martini Exer. de lege. nat. §. 232.
234.

(b) Idem l. c. §. 667. et Iur. pub. vniu. §. 44.

(c) Idem Iur. pub. §. 63. 81. 239. et 266. cf.
Maichelius l. c.

§. IX.

Quæ generalia prudentiæ civilis placita dum ad certam quandam gentem transferuntur, et ex pactis, ac legibus fundamentalibus (§. 4.) eique propriis magis determinantur, ius constituunt eius gentis proprium, ac particulare (a), quod adeo pro varietate rerum publicarum (§. 3.), et ipsum varium sit (b) necesse est.

(a) Cel. de Martini Exer. §. 220, et 236. Mascov. l. c. §. 6.

(b) Observavit istud iam Cicero in Oratione pro Balbo, dum ait: *Dissimilitudo Ciuitatum varietatem iuris habeat, necesse est.* Quorsum etiam Hotomanus respexit, dum in Antitriboniano c. 2. sic prolocutus est. *Non omnes Monarchiæ non omnibus in rebus, nec ubique vno eodem modo exercentur. Hæ potestate, et auctoritate sunt solutiore, illæ strictiore continentur, harum ampliores sunt termini, latiusque imperium, illæ contractiores sunt, et angustiores, hæ plures magistratus militares habent, illæ plu-*

res,

res, quorum in pace usus est. Haec gens militiae addictior est, illa litibus. Et consequenter vnus Monarchiae leges saepe inutilis sunt alteri, haud secus quam medicamenta non quaeuis quibuslibet hominibus conueniunt, vtut eiusdem sexus, aetatis, et nationis sint. Conf. Io. Steph. Pütter in prol. Ins. Iur. pub. Germ. §. 2.

§. X.

Hungariam si respicias, habet illa leges fundamentales, ac sibi proprias, per quas generales illae iuris naturalis praeceptiones (§. 7.) diuersimode determinantur. (§. 9.) Hungari has nono exeunte seculo (a) ex Asia in Europam transgressi condiderunt, dum Almo Duci, eiusque posteris fuso in vnum vas gentili ritu singulorum sanguine, Imperium iurati, communi consilio (b) detulere; prodidit eas memoriae incertus quidem ille Scriptor, sed auctor certus, et maxima fide dignus. (c) Belae Regis Notarius (d): quam etiam ob causam eas hic, et ipsissimis quidem Notarii verbis subiicere placet. Ita autem ille Cap. VI. ait;

Pri-

Primus status iuramenti sic fuit.

Vt quamdiu vita duraret, tam ipsis, quam etiam posteris suis; semper Ducem haberent, de progenie Almi Ducis (e)

Secundus status iuramenti sic fuit.

Vt quidquid boni per labores eorum acquirere possent, nemo eorum expers fieret. (f)

Tertius status iuramenti sic fuit.

Vt isti, principales personae, qui sua libera voluntate Almu sibi Dominum elegerunt, quod ipsi, et filii eorum nunquam a Consilio Ducis, et honore regni omnino priuarentur. (g)

Quartus status iuramenti sic fuit.

Vt si quis de posteris eorum infidelis fieret contra personam ducalem, et dis-

cordiam faceret inter Duces, et cognatos suos, sanguis nocentis funderetur, sicut sanguis eorum fuit fusus in iuramento, quod fecerunt Almo Duci. (h)

Quintus status iuramenti sic fuit.

Vt si quis de posteris Almi Ducis, et aliarum personarum principalium iuramentum, statuta ipsorum infringere voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum. (i)

(a) De anno, quo Hungari ex Asia in Europam transgressi sunt, Scriptores variant: Anonymus Belae Regis Notarius apud Schwandtner Tom. I. Script. rer. Hnngar. c. 7. annum 884. defigit, Chronicon vero Admontense, Salisburgense, Regino, et Analista Metensis annum 889. assignant, nobis huic quaestioni immorari non vacat, id factis est, quod omnium consensione exeunte Seculo IX. Hungari in Europam venerint.

(b) Cerimoniam hanc idem Anonymus l. c. c. 5. exponit; quae vero sub initium de causa, ob quam e Scythia egressi fuerant Hungari, subobscore re-

censet, ea in Epistola Abbatis Monasterii S. Germani ad Vidonem Episcopum Virdunensem circa annum 906. scripta, et ab Acherio in Spicilegio veterum Scriptorum Tom. 11. pag. 349. producta, clarius exposita inuenies.

- (c) Nomen enim, *regis notarius*, indicat eum curam regii Archiui habuisse, ex quo refecatis quibusuis fabulis veritatem se subsidio historiographorum scripsisse, ingenue fatetur in prologo his verbis: *Secundum traditiones diuersorum historiographorum diuinae gratiae fultus auxilio facere (scribere) aggressus sum, optimum aestimans, ut ne posteris in vltimam generationem obliuioni tradatur: optimum ergo duxi, ut vere, et simpliciter tibi scriberem, quod legentes possint agnoscere quomodo res gestae essent, et si tam nobilissima gens hungariae primordia suae generationis, et fortia quaequae facta sua ex falsis fabulis rusticorum, vel a garulo cantu ioculatorum quasi somniando audiret, valde indecorum, et satis indecens esset, ergo potius a me de certa scripturarum*
expla-

explanatione, et aperta historiarum interpretatione rerum veritatem nobiliter percipiat. Quare rectissimum Mathias Belius in praefatione scriptor. rer. Hung. de fide eius quae §. 12. prius examinauerat, iudicium §. 13. protulit: non videtur alienum, fidem huic nostro, etiam eatenus adhibere, quae a vulgo hungaricorum scriptorum discessionem faciat, quae et non pauca sunt, et praecipui momenti. Ut proinde immortalē operam genti hungaricae vniuersae nauauit Joan. Georg. Schwandtnerus elegantis vir ingenii, ac doctrinae, cum auctorem adhuc incognitum non solum regio concessu ac beneficio ex membranis Augustae Bibliothecae adcuratissime exscripsit, sed isto etiam, quem vides, cultu instructum, luci publicae exposuit, quantus enim est scriptor incognitus huc vsque utilitatis certe incognoscendis priscis illis rebus hungaricis, est prorsus incomparabilis. Praeterquam enim quod ieiunam, apud Thuroczium Hungariae Ducum historiam, rerum, quas

ges-

gesserunt uberiore apparatu descriptam ab eo accipis Lector! mancas certe hunniacae non minus, quam flauicae gentis Ducum res gestas, et quas tenuerunt sedes regionum porro, quae fuit medio aeuo, istis locis geographiam, totius hungarici Principatus, inde a primis Ducibus, hereditariam quidem, sed suis circumscriptam legibus formulam; Comitatum primaeuam, eamque genuinam originem, adpellationem situum natiuam, atque urbium nonnullarum sic satis luculenter exponit, ut sit, cur operam illam, aequi rerum hungaricarum existimatores gratiis cumulatissimis prosequantur. Cui nos tanto lubentius assentimur, quod Notarium nostrum nec Natio, nec affectus tum spei, metusue, tum amoris, odiue, nec mores, nec rerum cognitio, nec denique factiones aliquae de fide suspectum reddant. Cf. cl. Katona hist. Ducum Hung. praecipue autem in Prolog. §. 2. seqq.

- (d) At cuius Belae Notarius fuit? Belius l. c. §. 9. eum Belae I. fuisse Notarium ex Stylo, quo utitur;

tur, vix posse concludi contendit. Verum si re ipsa stylum diligentius examinemus, si deinde illud praecipue expendamus, quod nusquam Regum, qui Belam I. secuti sunt, bene vero anteriorum, veluti S. Stephani c. 11. 24. 27. et 57. Petri c. 15. Abbae c. 32. Andreae c. 15. meminerit, verisimillimum est, eum Belae I. notarium fuisse. Nam stylum obseruat ab eo, qui in Diplomatum Belae II. et reliquorum succedentium Regum occurrit, plane diuersum, nec Andreae cuius meminit, ordinale nomen *primi* addit, quo distingui posset ab aliis eiusdem nominis Regibus, quod utique facturus fuisset, si quis praexistisset. Hae coniecturae si non sufficiunt pro eo, vt ad tempora Belae I. reponatur, id certum est, quod ad tempora Belae III. retrudi non possit; Nam post Belae II. tempora in diplomatum Regum nostrorum non amplius notarios sed Cancellarios occurrere obseruauimus. Quid quod iam S. Ladislaus Vice - Cancellarium habuerit, vt patet ex eiusdem Diplomate, quod Cel. Kollarius in Analectis Diplomaticis sanctioris Augustae Domus Tabulario illatis Tom. 3. p. 384. exhibet, in quo haec leguntur: *Nos igitur huic scripto nostrum regale sigillum fecimus*

apponi per manus Magistri Fabiani Vice-
 Cancellarii nostri fidelis post incarnatio-
 nem Domini Nostri Iesu Christi millesimo,
 atque octuagesimo secundo Anno III. Ka-
 lendas Maii. Neque dicas a Notario Nostro
 Stephanum adpellari *Sanctum*, quod utique Be-
 lae I, temporibus conuenire nequit, cum sub S. La-
 dislao Anno 1083, in numerum sanctorum sit
 relatus, quia id ex communi de Rege optimo
 concepta opinione manauit, quemadmodum et
 Aloldus de Beklarn ad Annum 1019. scripsit:
quamdiu Rex Stephanus hungariam, at-
que Hainricus Secundus Imperium gu-
bernabat, vterque Sanctus, pax aurea
floruit, licet vterque, quos sanctos appellat,
 tempore quo scripsit, adhuc vixerint. cf. cl. Ka-
 rona I. c. Bellus §. 10, et 11.

(6) At enim cum per hanc legem Almo Duci, eius-
 que posteris delatum fuerit Imperium, quaeret for-
 tassis nonnemo, quomodo Regum electiones susci-
 pi poterant? quas fuisse in Hungaria susceptas
 certissimum est. — Si ab euentu arbitrari licet,
 certe legi huic a conditoribus suis ille fuit attri-
 butus, et ad posteros transmissus sensus vt licet

hereditariam in Imperio successionem stabiliverint, ejectionem tamen huius potius, quam illius ex eadem progenie Principis sibi liberam esse voluerint. Hunc inquam legi huic fuisse sensum, ipsi eius conditores, eorumque posterii agnouerunt. Enimuero Almus, et sui Nobiles huius legis conditores erant, atqui hic ipse Almus inquit Anonymus Belae Regis Notarius l. c. c. 15. *inito consilio, et accepto iuramento omnium suorum filium suum Arpadium Ducem, ac Praeceptorem constituit.* Arpado successit eodem prorsus modo Zultanus, nam Anonymus l. c. c. 52. ita ait: *Dux Arpad accepto iuramento primatum, et militum Hungariae, filium suum Zultam Ducem cum magno honore elevari fecit.* Zultanum sequutus est Toesun, hunc vero Geyfa de quibus iterum Anonymus c. 57. haec habet: *Et dum Dux Zulta, et sui milites ita radicati essent, tunc Dux Zulta duxit filio Toesun Vxorem de terra Cumanorum, et ipso viuente accepit iuramenta suorum nobilium, et filium suum Toesun fecit Du-*

cem, ac Dominatorem super totum regnum Hungariae. Et ipse Dux Zulta tertio anno regni sui filii de ergastulo corporis viam vniuersae carnis egressus est. Tocsun vero Dux cum omnibus Primatibus Hungariae potenter et pacifice per omnes dies vitae suae obtinuit omnia iura regni sui. — — Dux vero Tocsun genuit filium nomine Geysam quintum Ducem Hungariae — post cuius obitum inquit Caruitius apud Schwandtner pag. 416. Stephanus adhuc adolescens principum, et plebis favore Patri subrogatus est; cui quemadmodum totius regiminis hungarici norma, ita quoque hereditaria haec successio, electione temperata, apprime cognita fuit, hanc vero ille Emerico filio, quem ad solium hungaricum praeparabat, quam clarissime exposuit; ac primum quidem in Praefat. L. 1. §. 1. ipsam ius hereditarium, tum vero eodem libro c. 4. §. 4. eius temperamentum complexus est, his verbis: Me non piget fili amabilissime hac vita comite, Tibi documenta, praecepta, consilia

silia, et suasiones parare, quibus Tuæ vitæ mores, Tibique Subiectorum exornes, quando summa concedente potentia post me regnabis: si inquit c. 4. §. 4. eris pacificus, tunc diceris Rex, et Regis filius, atque amaberis a cunctis militibus, si iracundus, superbus, inuidus, impacificus, ac super comites ac principes ceruicem errexeris, sine dubio fortitudo militum hebetudo erit regalium dignitatum, et alienis tradent regnum Tuum. Praemortuo porro Emerico sanctum regem antequam, suprema vitæ dies aduenisset, cum ordinibus regni de successore tractauisse Codex Mellicensis apud Stiltungum in vita S. Stephani n. 431. testatur his verbis: *primum tractauit (Stephanus) de substituendo rege pro se, Petro videlicet, sororis suæ filio, quod ipsum etiam Cartuius l. c. p. 424. refert in hæc verba: Cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis Episcopis, et primis Palatii, de Christi nomine gloriantibus primum cum eis tracta-*

tractavit de substituendo pro se Rege.

Plures enim aderant praeter Petrum Regii sanguinis Viri, nempe Basilius, seu Vazul, Andreas, Bela, et Leuenta, ex quibus facile prae Petro alius eligi potuisset. Plura non addam, cum ex his quasi per manus posteritati traditis, apertum sit, quo iure regum electiones in Hungaria susceptae fuerint, donec sub Leopoldo M. et Carolo III. per novas fundamentales leges, nempe Ar. 2. et 3. 1687. 1. et 2. 1723. certus succedendi ordo stabilitus fuisset. Cf. Cl. Katona Hist. Reg. Tom. 1. p. 472. seqq. Kollar Amoen. iur. publ. hung. vol. I. Sect. III. c. 2. Brunnerus annal. Boic. T. 2. L. 10. p. 849.

Sed quod dictis maximam conciliat fidem S. Stephani Decretum I. Hyeronimus a Saxo in Mss. Dissert. politico critica de praerogativis nobilium Hungariae, Augustae Bibliothecae illata (quae subinde anno 1786. sub nomine *Francisci Rudolphi a Grossing*, et titulo, *ius publicum Hungariae vnica dissertatione complexum* tipis Halensibus excusa prodiit) c. 2. §. 2. impugnat, dubiaeque fidei esse appellat ex eo, quod monita ad Emericum tanquam puerum directa, qui propediem Rex futurus erat, non videantur accomoda, et textus praef.

fationi L. I. §. 6. de Expeditionibus, et incurfionibus bellicis infertus falſus fit, cum Stephanus nullas praeter contra Cupam, et Gyulam diuerſarum Gentium expeditiones, incurfionesque viederit. — Verum ſi ad patriam poteſtatem, ſi ad amorem paternum, ſi denique ad filium propedem futurum Regem, cui proinde ſiſtema regiminis inſtillari debuit, aduertamus, nulla certe in Decreto hoc occurrit verborum expreſſio, qua Pater ad filium hodieum accomode vti non poſſet. — Expeditiones porro bellicas a. S. Rege non tantum contra Cupam, Gyulamque, verum etiam contra Conradum II. Imperatorem, et Bulgaros fuiſſe ſuſceptas Otto Frifingeniſis de Rebus geſtis Fridr. I. c. 32. Lazius comm. Reip. Rom. L. 12. ſect. 3. c. 7. p. 1156. Brunerus Annal. Boic. Tom. 2. L. 10. pag. 824. ſeqq. Caſp. Enſ. in hiſt. rer. hung. L. 2. p. 41. Nadeſius in flor. hung. L. 2. c. 2. fide integra recensent, quos mi Hieronymo inſpicias velim.

(f) Duo hac ſecunda lege ſunt conſtituta, vnum, vt quidquid communibus laboribus et periculis partum eſſet, id omne Almus, ſuique poſteri iure eminenti poſſiderent, quin tamen ſuum proprium ſed vniuerſae gentis eſſe arbitrarentur. Alterum:

vt aquifitorum ceteri etiam fideles comilitones sui
 participes fierent. Vtriusque huius quam religiosissime
 obseruatae constitutionis insignia profus in pluribus
 capitibus Belae Regis Notarius prodidit exempla,
 e quibus nos tantum aliqua huc transferemus, ac pri-
 mum quidem cap. 17. quod sic habet: *Iuxta*
Tocotam, et infra syluas Dux Arpad de-
dit terras multas diuersorum locorum cum
suis habitatoribus Edunec, et Edumer nec.
Quas etiam terras posteritas eorum diui-
na gratia adiuuante vsque nunc habere
meruerunt. Praedictus vero Turfol per
gratiam Arpad Ducis ad radicem eiusdem
montis vbi Budrug descendit, in Tisciam
aquisiuit magnam terram — — deinde c.
 44. in quo ait: *Egressus Dux Arpad de*
partibus illis, vbi nunc est castrum Bu-
drug, et descendit iuxta Danubium vsque
ad insulam magnam, et castra metati sunt
iuxta insulam, et Dux Arpad sui que No-
biles intrantes insulam, visa fertilitate et
vberrate illius loci, ac munitionem aqua-
rum Danubii dilexerunt locum vltra, quam

dici potest, et constituerunt, ut ducalis esset insula, et vnusquisque nobilium personarum suam tibi haberet curiam, et villam: statim Dux Arpad conductis artificibus praecepit facere egregias domos ducales, et omnes equos suos longitudine dierum fatigatos ibi introductos pascere praecepit. Sed nec desunt Regum Diplomata ad normam harum Sanctionum concessa. Ex innumeris vnum recitabimus, cuius originale olim in Tabulario Camerae Regiae, iam modo consilii regii capsa Frangepaniana 87. et 88. conseruatur, ita vero illud: *In nomine sancte Trinitatis, et indiuidue vnitatis Bela(III) Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rameque Rex in perpetuum. Quoniam fidelitas suscipit incrementum, cum merces fidelitatis digna retributione compensatur, dignum ducimus illis regie munificencie manum copiosius aperire, quos longeuæ fidelitatis experientia, et exhibitio deuotionis continua gratie nostre reddiderit commendatos. Attendentes itaque*

que oculo benigniori sinceritatem ac deuocionem dilecti et fidelis nostri comitis Bartholomei (de Frangepanibus hic fuit.) totam terram pertinentem ad Comitatum Modros, et cum pertinentiis, et totis redditibus ei, et heredibus suis iure hereditario contulimus perpetuis temporibus possidendam talis pacionis interventu, quod praenotatus comes in exercitu serenitatis nostrae intra limites regni cum decem loriciis in reconpensationem suscepti beneficii (feudi, quod enim Germanis feudum, hoc hungaris beneficium regium est.) nobis assistat extra regnum vero cum quatuor loriciis nobis seruiat. (hinc insurrectio feudo propria intelligitur.) tamen tali tempore citatus veniat, in quo exercitus croaticus (diuersus ergo ab hungarico) ex precepto Regis vniuersaliter fuerit ad exercitum conuocatus, sub hac quoque condicionis forma includere decreuimus, quod si iam dictus comes absque prole ingrederetur viam carnis vniuerse vnus ex filiis fratrum ipsius eodem

dem conuencionis modo obseruato sub nostre serenitatis dominio terram tranquille possideat, et quiete — — (non ergo secus beneficium regium ad collaterales transire potest, quam cum Regis consensu, et oneribus ei adnexis.)
 Datum per manus Katapani Albensis prepositi Hungarie cancellarii anno incarnationis Domini MCXCIII. venerabili Iob Sstrigoniensi Archi - Episcopo existente, Saulo colocensi, Kalano quinque ecclesiensi Episcopo, et eodem Dalmacie, atque Croacie Gubernatore, Chrispino Chana diensi Episcopo, Dominico Zagrabiensi Episcopo, Mog Palatino eodem et comite Bachiensis, Dominico curiali comite, et eodem Budrugiensis, Andrea comite de Suprunio, Bog comite de Bychor, Fuller comite de Waswar, Machario comite de Zonuk.

Atque in hunc modum, quae iuris eminentis, et donorum regionum sit origo? qui limites in Hungaria? satis ut puto, adlata exempla ostendunt; quum vero lex illa fundamenta-

lis,

lis, e qua vtrumque istud emanat, per nullam
 aliam legem abrogata sit, *tenemus fontem, ex
 quo* quemadmodum inquit cel. Kollarius l. c. §. 4.
*manuere apud nos patrum, auorumque
 nostrorum quaerelae veteres, Regem nihil
 sibi priuatim, sed omnia coronae suae, et
 regno publice acquirere, bona omnia siue
 hostibus errepta, siue in fiscum relapsa be-
 ne de regno, deque regia corona meritis
 esse conferenda; nihil quod auulsum sit,
 et ad reliquum regni corpus pertineat, re-
 gem priuatim, separatimque possidere pos-
 se: Transiluaniam et Banatum Temes-
 stensem Vngariae regno coniungendum.*

(g) Eximia profecto res est imperium, si incidat
 in manus boni Principis, qui et sibi primum im-
 perare didicerit, et media, quae in promptu ha-
 bet, ad commune bonum attemperare sciat, et
 velit, nihil sibi privatim expedire putans, quod
 non idem Reipublicae expediat; Verum quum ho-
 minis vnius iudicium in dispiciendo eo, quod sa-
 luti publicae expedit, facile decipi posse, neque
 omnibus, ad clauum venturis, eam esse animi
 futuram firmitatem, vt libidines rationi oblectan-

tes compescere queant, etiam illi primi Hungariae nobiles, regni conditores probe intellexerint, nullum proinde dubium est, quin hac tertia fundamentali lege cum sibi, tum etiam universae posteritati hungaricae consulere voluerint; nam translato in Almuin Ducem, eiusque posteros imperio, hoc ipsum imperium, quo libertas, salusque publica universae gentis esset securior, optimatum, nobiliumque suffragiis temperatum, sibi prae exteris regni honores reservatos esse voluere; unde evenit, ut negotia totam nationem attinentia non secus, quam inuito consilio, atque in hoc collatis optimatum, nobiliumque suffragiis primum Duces, ac postmodum etiam Reges perficerent. Enim vero quod Duces attinet, illi certe ad hanc normam *Legatos* exterae nationis audiebant, mittebantque suos, tributa victae genti imponebant, pacem cum hoste inibant, fines regni custodiendos demandabant, bella inferebant, Imperatores exercitus nominabant, ab iis responsa recipiebant, dabantque cum hoste congregiendi facultatem, terras denique vindicabant, et, quod caput rei est, leges communibus omnino suffragiis perferebant. — Quod ne quispiam a nobis pro libito asseri existimet, rem omnem verbis Belae Regis

Notarii illustrabimus. Ita vero ille de Legatis Ruthenorum, et imposito eis tributo c. 9. refert: *Cum venissent ad Almum Ducem, et eum rogassent, ut dominum eorum de sedibus non expellerent suis tunc Dux almus inuito consilio cum suis, sic legatos remisit Ruthenorum, ut Duces, et primates sui filios suos in obfides darent, tributumque annuatim persoluerent decem millia marcarum, et insuper victum, vestitum et alia necessaria. — Duces vero rogaverunt Almum, ut dimissa terra gallitiae ultra sylvam Houos versus occidentem in terram panoniae descenderent — ad quam petitionem c. 10. Dux vero Almus, et sui primates inuito inter se consilio petitioni Ducum Ruthenorum satisficientes, pacem cum eis fecerunt. Quum vero post Almum Arpadus imperio fuisset potitus, ab eo ad Salanum Ducem nuntios ita fuisse missos c. 14. ait: *Dux Arpad inuito consilio eodem etiam misit nuntios suos ad salanum Ducem — postmodum interposita aliquantulum quiete inquit**

No.

Notarius c. 18. *Communi consilio, et a monitione omnium incolarum missus est Borsu filius Bunger cum valida manu versus terram Polonorum, qui confinia regni conspiceret, et obstaculis confirmaret usque ad montem Tatur, et in loco conuenienti castrum construeret, causa custodiae regni. — post haec vero cap. 19. Dux Arpad transactis quibusdam diebus, accepto suorum consilio Nobilium legatos misit in castrum Byhor ad Ducem Menemorout — vnde Legati reduces postquam terulissent, Ducem non velle Arpado castrum Byhor resignare c. 20. Arpad Dux, et sui nobiles hoc audientes iracundia ducti sunt, et statim contra eum exercitum mittere ordinaverunt. Tunc constituerunt, quod Tosu pater Lelu, et Zobolsu filius Eleud, a quo gens Saac descendit, nec non Tuhutum Pater Horca, Auus Geula, et Zumbor, a quibus genus Moglout descendit, irent — —*

cum exercitu non modico egressi Duci Mone-
 morout, totique populo tantum metum incusserunt)
 ut nullus credebat se posse viuere: nisi per
 gratiam Arpadii, filii Almi Ducis,
 et suorum Nobilium, vnde plurimi se
 sua sponte subiugabant eis. Victo po-
 pulo Imperatores exercitus, inquit Notarius c. 22.
 omnia facta sua Duci Arpad, et suis
 primatibus per fideles nuncios manda-
 uerunt: quod cum renunciatum fuisset
 Duci Arpad, et suis Iobagionibus ga-
 uisi sunt gaudio magno valde, et more
 paganismo fecerunt Aldumas, et gaudi-
 um adnunciantibus diuersa dona praesen-
 tauerunt. Dux vero Arpad et sui pri-
 mates ob hanc causam laetitiae per to-
 tam vnam ebdomadam soleniter comede-
 bant, et fere singulis diebus inebriaban-
 tur propter euentum tantae laetitiae.
 Tuhutum porro hac sola victoria minime conten-
 tus Transilvaniae quoque inuadendae animum
 adiecit, ac ideo inquit Notrius c. 26. Tuhu-

tum

*tum audita bonitate terrae illius (ultrafil-
 uanae) misit legatos suos ad Ducem Arpad
 ut sibi licentiam daret ultra sylvas eundi
 contra Gelou Ducem pugnare. Dux vero
 Arpad inito consilio voluntatem Tu-
 hutum laudauit, et ei licentiam ultra
 sylvas eundi contra Gelou pugnare concessit.
 Tandem post reportatam a Duce Salano Victoriam ait
 idem Notarius c. 40. Dux Arpad, et sui
 milites adepta Victoria hinc egressi ve-
 nerunt vsque ad Stagnum quod dicitur
 Curtueltou, et manserunt ibi iuxta syl-
 uam Gemelseu 34. diebus, et in illo loco
 Dux, et sui nobiles ordinauerunt om-
 nes consuetudinarias Leges regni, et
 omnia Iura eius, qualiter seruirent Duci,
 et primatibus suis, vel qualiter Iudicium
 facerent pro quolibet crimine commisso.
 Ibi etiam Dux condonauit suis Nobili-
 bus secum venientibus diuersa loca cum
 omnibus habitatoribus suis. Et locum
 illum, ubi haec omnia fuerunt ordinata,
 Hungarii secundum suum Idioma nomi-
 na-*

*nauerunt scerui eo, quod ibi ordinatum
fuit totum negotium regni.*

Ab his Ducum exemplis si ad Reges digre-
diamur, prout reipsa nos digredi suscepti ope-
ris cogit ratio, hos quoque non minori religione
negotia regni cum ordinibus egisse deprehende-
mus. Nam licet Ducum nomen tempore S. Ste-
phani cum regio nomine commutatum, regiminis
nihilominus sistema, lege semel definitum, sem-
per idem persistit: quam ob causam S. Stepha-
nus non tantum filio suo Emerico L. 1. c. 4. dicebat:

*Quartus Decor regiminis est fidelitas, for-
titudus, agilitas, comitas, confidentia
Principium, Baronum, Comitum, Mi-
litum Nobilium. Illi enim sunt regni pro-
pugnatores, Defensores inbecillium, ex-
pugnatores aduersariorum, augmentato-
res Monarchiarum. Illi Tibi fili mi! sint
Patres et fratres. Ex his vero neminem
in seruitutem redigas, vel seruum nomi-
nes. Illi tibi militent, non seruiant. Et
c. 5. §. 3. Negotium (liti obnoxium) ad Iu-
dices mitte, quibus hoc commissum est,
quod ipsi secundum suam hoc discer-
nant*

nant legem: Verum etiam secundum Decretorum Librum, qui leges publicas complectitur, communi ordinum consensu edidit, id quod aperte ex ipsis perlatis legibus constat: Et enim c. 19. sic habet: *Vt gens Monarchiae huius ab omni incurfu, et accusatione feruorum et ancillarum remota et quieta maneat, secundum regalis Decretum concilii penitus interdictum est* — capite vero 23. S. Rex sic loquitur: *Decreuimus nostrorum Primatum conventu, vt ille percussor (legati) decem soluat iuuenos* — postea c. 27. §. 1. haec continentur; *quia in hoc regali consilio Decretum est*. Deinde c. 33. §. 1. sic sonat: *Si quis Comitum post definitionem huius communis concilii tam contumax existerit, vt alium domi quaerat, ad perdendum eum* — ac tandem c. 35. habetur: *consensimus igitur petitioni totius Senatus, vt vnusquisque dominetur propriorum* — Ab hoc S. Regis Decreto si ad S. Ladislae Decreta progrediamur, mox in praefatione decretorum L. 1.

§. 1. haec inueniemus: *Sancta Synodus habita est, praesidente christianissimo Hungarorum Rege Ladislao, cum vniuersis regni sui Pontificibus, et Abbatibus, nec non cunctis optimatibus cum testimonio totius cleri et populi — Deinde in L. 2. c. 1. ista legemus: Temporibus piissimi Ladislai omnes nos Regni Panoniae optimates in monte Sancto (procul dubio sancti Martini) conuentum fecimus, et quaesiuius, qualiter malorum hominum impedirentur studia, et gentis nostrae expedirentur negotia. Denique L. 3. c. 1. deprehendemus: Hoc decreuerunt, hanc legem constituerunt, vt nuncius regius per omnes ciuitates dirigatur. Post haec si Colomani Decreta inspiciamus, certe reperiemus L. 1. c. 1. hac forma leges fuisse perlatas: *Placuit Regi, et communi concilio, vt dotes cuiuslibet possessionis monasteriis seu Ecclesiis a Beato Stephano Rege dispositae inconuulsae remaneant.* Decreta Colomani in codice Iuris patrii excipit Decretum ab Andrea II.*

anno 1222. editum, in cuius praefatione §. 3. haec leguntur: *Nos igitur eorum* (nobilium) *petitionibus satisfacere cupientes in omnibus, uti tenemur, praesertim quia inter nos, et eos occasione hac* (videlicet celebrati conuentus) *iam saepius ad amaritudines non modicas est processum: — Tandem post Andream Carolus I. in praef. Decreti sui §. 1. sic loquitur: Quod nos Praelatorum, et Baronum nostrorum voto unanimi, et de consilio eorundem — — dedimus — —*

Haec tempore Caroli I. prodita formula, quum in reliquorum ad nostra vsque tempora Regum decretis, quae Codex Iuris patrii complectitur, compareat, et secus etiam constet, eos toties, quoties commune exigebat bonum, comitia coegisse, nec inuitis ordinibus quidquam suscepisse, apertum est, Reges quoque, Ducum successores, praemissam fundamentalem legem adeo observasse ut ex illa cursu temporum partim erga regum propositiones, partim rogationes ordinum tanquam ex equo Troiano omnes prodiuisse regni leges, et libertates facile viderit, qui ea, quae per decursum dicemus, diligentius examinauerit.

cf. cel. Kollar l. c. §. 7. M. Turocz, P. 2. c. 44.

Et quanquam haec apertissima sint, Hieronymus tamen a Saxo l. c. §. 9. nullum toto virilis Arpadianae stirpis tempore in negotia Hungariae publica ordinum fuisse influxum contendit, sed primum id ius sibi sub Carolo I. cum derogamine potestatis regiae ordines arrogauisse praetextuat, his potissimum fundamentis: quod 1) S. Stephanus in praefatione Decr. L. 2. dicat: *Nos quoque Dei nutu nostram gubernando Monarchiam decretali meditatione nostra statuimus* — — Nec 2) formula illa *Praelatorum, Baronum*, influxum ordinum denotans in decretis regum vsque ad tempora Caroli I. compareat: Sigismundus porro 3) vt patet ex eius Praefatione Decr. 2. Status non pro decretis condendis, sed pro consilio duntaxat ad comitia euocauerit.

Verum enim vero alibi (§. 3.) ostendimus Monarchiam iam absolutam, iam temperatam fieri posse, iure igitur S. Stephanus, quem ex pactis cum Almo Duce initis ipse etiam Aduersarius l. c. §. 8. praecipue nota (r) solum conscendisse fatetur regnum istud Monarchiam appellare, et *statutum*, vt inquit Cartuicius edit Pray p. 134. *cum Episco-*
seo-

scopis et Primatibus hungariae a se De-
cretum pro suprema sua auctoritate regia, suo-
 que nomine regio edere potuit: quin inde con-
 cludi possit, nullum regni ordines in publica ne-
 gotia habuisse influxum; Aut si hoc non placet,
 Reges pacta hoc loco adducta cum paciscentium
 iniuria violasse, necessum est, quam tamen iniu-
 stitiae labem nos in Reges pietissimos conicere
 tanto minus audeamus, quod non solum hic, sed
 et alias pro principio teneamus, in quaestionibus,
 ad Regem et regnum pertinentibus, ea fide versari,
 ut suum cuique tribuatur.

Porro 2) in locum clausulae Praelatorum, Ba-
 ronum, alias eo tempore, quo virilis Arpadiana
 stirps floruit, vstitatas, idemque prorsus signifi-
 cantes formulas ex ipsis legum Tabulis indicaui-
 mus, quae iniustam ordinibus arrogantiae maculam,
 si ideo saltem non abstergant, quod speciatim
Praelatorum, *Baronumque* formula usque
 Carorum I. in nullo Decreto compareat, certe
 et Reges Maiestatem usque Ludouicum I. non ha-
 buisse dicendum esset, quoniam usque Ludou. I.
 Decretum nec *Maiestatis* nomen vllibi in De-
 cretis reperiatur, quod iterum nemini vel somni-
 are incidit.

Denique 3) si Sigismundi in praefatione Decr. 2. verba de euocatis statibus alicui dubia sunt, inspiciat eiusdem Regis, eodemque anno conditi Decreti 3. praefationem, in qua haec inueniet; *celebrato Praelatorum, Baronum, Procerumque nostrorum conuentu, de ipsorum consilio, auctoritate et consensu, maturaque discussione praehabita pro totius regni bono, utilitate, profectu, et augmento has leges seu constitutiones ex auctoritate regia duximus salubriter statuendas*: ex quibus aperte constat, qua ratione Sigismundus status ad comitia euocare fuerit solitus, quisque enim est optimus verborum suorum interpret. —

(h) Intemerata in principes fides, et observantia hac quarta lege sancitur, vnaque poena capitalis decernitur in eos, qui summo Principi obedientiam detrectare, aut illum inter, et gentem discordias ferere auderent; vnde legem hanc fontem, atque originem esse ceterarum omnium, quae de crimine laesae Maestatis, et Notae infidelitatis subinde perlatae sunt, tam certum est,

vt a nemine in dubium vocari possit. cf. Kollar.
l. c. §. 8.

- (i) Vltima haec Lex clausulam, vt dicitur, *legis commissoriae* continet, nempe vt si quis vnquam ex paciscentibus, eorumque posteris non staret pactis, ille Anathemate feriretur.

Sed tum Hungari, cum has leges sanciebant, vtique adhuc Ethnici erant, neque de Anathemate quidquam scire poterant? quid ergo hac lege constitutum fuit? Difficultatem hanc vt Kollarius l. c. §. 9. praeueniat, ait hanc legem a Notario per prolepsim esse enarratam, nos vero cum rite, ac fideliter hanc legem exscripsisse putamus. Nam variae significationis esse vocabulum Anathema siue natales eius, siue mores gentium respicias certum est. Etenim Graecis scriptoribus, vt inquit Joan. Georg. Kettembeilius in adnotatis ad obseruationes Ecclesiasticas Gabriellis Alboispinei Aurelianensis Episcopi p. 74. *αναθεμα* grauissimam poenam denotat, qua quis *ανατος*, et incorrigibilis veluti membrum putridum a reliquo corpore auellitur. Vgutius apud Ducange in glossario Anathema idem, quod perditionem Domini esse ait, sanctus Hieronymus in Epistola 151. ad Algaziam scripta vocem Anathema pro

occisione assumit, apud gentiles scribit Baronius
 Annal. Eccl. ad annum 57. n. 174. anathemare
 significat diris deuouere. Apud scriptores Ecclesia-
 sticos teste eodem Baronio l. c. n. 171. et 172.
 anathema in bonam, aequae ac malam partem vsur-
 patur, quandoque enim, quod certo loco appen-
 sum, et ex voto Deo obligatum est, quandoque
 quod a Deo seiunctum, quandoque autem ex-
 communicationem cum execratione significat.

Igitur ex tanta, quas uocabulum Anathema ha-
 bet, significationum uarietate, id pro certo con-
 cludere possumus, quod et uocabulum anathema
 primis illis hungaris, licet ethnicis legum condi-
 toribus cognitum, et ab illis eo sensu logi, a
 Notario postmodum exscriptae, insertum fuerit: uà
 qui in commoda publica, aut gentis uniuersae
 iura aliquid commiserit, dignitate, ordine, gra-
 du, dominio mulctetur. Atque hinc manauisse
 uidetur, celebris illa Decr. Andreae II. de anno
 1212. ar. 31. clausula, qua mutuo Regis, et or-
 dinum consensu in comitiis anni 1687. per ar.
 4. sublata, huius quoque primitiuae legis ea in
 parte ita vim omnem cessauisse, pro explorato
 habemus, ut si illegalia Regum facta contingant
 ea quidem constans, atque perpetuum robur haud

obtineant, ex aduerso porro haec illegalitas, tam procul iterum extendi nequeat, vt auitis Regum in Regimine succedentium praecipue post constitutam legibus successionem iuribus detrahat, aut potestati; Nam receptum est per totam, qualate patet Hungariam Principium: *Quod nemo priusca familiae suae iusto titulo adquisita iura inuoluere, atque auitae hereditati praeiudicium quodpiam inferre possit.*

§. XI.

Inde perspicuum est, ita summum in Hungaria stabilitum fuisse imperium, vt sua quoque subiectis imperio essent iura, suae essent libertates (§. 10.) Quoniam vero harum libertatum in ipsis modo praeuio constitutis legibus nonnisi generalia continerentur principia (a) eas consuetudine, ac moribus magis metiebantur posteris (b) vnde sub regibus factum saepe, vt haec causa reges, atque ordines inter se (c) committeret.

- (a) Exemplo esse potest, vel vnica illa lex 3tia, in qua dicitur, *quod ipsi et filii eorum nunquam*

quam a consilio Ducis, et honore regni omnino priuarentur.

(b) Discimus istud primum ex Decreto S. Stephani l. 1. c. 8. in quo ille ad filium Emericum ita loquitur; *Imitatio maiorum in regali dignitate octauum possidet locum; propterea inquit §. 3. Fili charissime! edicta Patris Tui semper Tibi sint promptuosa, ut prosperitas tua ubique regalibus dirigatur habenis; mores quidem meos, quos regali vides conuenire dignitati, sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Graue enim Tibi est huius climatis tenere regnum, nisi imitator consuetudinis antea regnantium extiteris regum. Quis graecus regeret latinos graecis moribus? aut quis Latinus graecos latinis regeret moribus? nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, ut inter tuos habearis praecipuus, et inter alienos laudabilis. Tum vero ex praefatione decretorum Colomani Regis, in qua §. 11. haec reperiuntur: *Hic nimirum (Colomanus) cum videret propter ciuilia bella, usque ad*
tem-*

tempus illius ingrauescentia, paternis traditionibus, iam magna ex parte solutis, regni consilium labefactari, curiae honorem vilescere, timens, ne miles insolens pacis, domesticus tamen virtutis hospes, irreuocabilis fieret iniquitatis, regni Principibus congregatis totius Senatus consultu praesati Regis sanctae memoriae Stephani legalem textum recensuit, de quo, si rem consideres, nihil comminuit, sed auxit, non tamen quasi fundator, sed superaedificator. — —

- (c) Fatetur hoc ipsum Andreas II. in praef. Decreti sui de anno 1222, dum sic ait: *Nos igitur eorum (Nobilium) petitionibus satisfacere cupientes in omnibus, uti tenemur, praesertim quia inter nos, et eos occasione hac iam saepius ad amaritudines non modicas est proecessum — — concedimus.*

§. XII.

Graue proinde hoc incommodum, ut deinceps a Republica penitus remoueret Andreas II. in comitiis anni 1222, collectas, inque

que vnum ordinem redactas cum regiae Ma-
iestatis, tum statuum, quin etiam plebis ip-
sius praecipuas praerogatiuas (a) vno comple-
xus diplomate, aurea Bulla (b) roborato, pro
auctoritate sua regia ita exposuit, confirmavit-
que, vt simul formam regendae reipublicae
eo diplomate descriptam, perpetuam esse ius-
serit, (c) quo factum, vt ab eo inde tempo-
re diploma istud pro lege fundamentali (d)
haberetur, atque seclusa illa celebri clausula
habeatur hodie, quamquam in omnia alia Hie-
ronymus a Saxo (e) abeat.

(a) Certe Decretum hoc Andreas non in fauorem
soli nobilitatis, vt plerique autumnant, sed et
aliorum regnicolarum, quam maxime vero tran-
quillitatis publicae gratia edidit, ita enim in prae-
fatione eius se exprimit: *Quoniam libertas
tam nobilium regni nostri, quam etiam
aliorum instituta a S. Stephano Rege,
per aliquorum Regum potentiam, vlciscen-
tium aliquando iram propriam, aliquan-
do etiam attendentium consilia falsa ho-
minum iniquorum, vel sectantium propria
lucra, fuerat in quam pluribus partibus
diminuta, multoties ipsi Nobiles nostri se-*

tenitatem nostram, et praedecessorum nostrorum, Regum suorum, aures precibus, et instantiis multis pulsauerunt, super reformatione regni nostri. Nos igitur eorum petitionibus satisfacere cupientes in omnibus, vti tenemur, praesertim, quia inter nos, et eos occasione hac iam saepius ad amaritudines non modicas est processum, quod vt regia honorificentia plenius confirmetur, conuenit euitare. — — concedimus tam his, quam aliis hominibus regni nostri libertatem a Sancto Rege concessam, ac alia ad statum regni nostri reformandum pertinentia, salubriter ordinauimus, atque ideo Decretam hoc agit.

I. De iuribus, et prouentibus regis

art. 1. ar. 4. §. 2. ar. 8. §. 1. ar. 10. §. 1.
ar. 23. ar. 24. ar. 25. ar. 27. ar. 29.

II. De Filio Regis,

ar. 18.

III. De Ecclesiasticis,

ar. 20. et 21.

IV. *De Baronibus regni.*

ar. 8. ar. 9. ar. 10. ar. 13. ar. 30. et 31.

V. *De Comitibus Castrorum,*

ar. 5. ar. 14. ar. 16. ar. 19. et 29.

VI. *De Nobilibus.*

ar. 2. ar. 3. ar. 4. ar. 7. ar. 12. ar. 15. ar. 17.

ar. 18. ar. 21. ar. 22. ar. 24. et 26.

VII. *De populo seu plebe.*

ar. 3. §. 2. ar. 6. ar. 12. ar. 13. ar. 14. et 21.

VIII. *De Exteris.*

ar. 11. ar. 19. §. 1.

IX. *De ducendo Exercitu.*

ar. 7.

X. *De Iudiciis.*

ar. 1. ar. 28.

(b) Id est aureo Sigillo.

(c) Id, quod aperte indicant postrema diplomatis verba, quibus ar. 31. §. 1. Exemplar vnum apud Palatinum conseruari mandat, ita quod ipsam scripturam prae oculis semper habens, nec ipse deuiet in aliquo praedictorum, nec Regem vel Nobiles, seu alios consentiat deuiare, vt et ipsi gaudeant sua libertate, ac propter hoc Nobis, ac Successoribus sem-

semper existant fideles, et coronae regiae obsequia debita non negentur.

(d) Complectitur enim omnia ea, quae ad legum fundamentalium essentiam pertinent, (§. 4. et 5.) Nam 1) conditum est in comitiis, adeoque 2) mutuo regis et ordinum consensu per modum pacti, ut patet ex eius praefatione. 3) Iura summi imperii, eique subiectorum complectitur, ut paulo ante ostendimus. Est praeterea 4) tot regum iuramento firmatum, et vel maxime pro lege fundamentali agnitum, dum sub Leopoldo M. famosa illa clausula ar. 31. per ar. 4. 1687. sublata esset. Ad haec 5) siue leges anteriores, siue diplomata regum praecedentium consideres, profecto inuenies, hoc Andreae Decretum cum primis Reipublicae Hungaricae institutis apprime conuenire: id quod ex Diplomate supra a nobis ad §. 10. allato, et Decr. S. Stephani L. 2. c. 5. 24. 35. nec non Colomani L. 1. c. 20. Si cum articulis Decreti huius 4. 7. 12. et 17. combinentur, elucet.

(e) Nempe inquit ille l. c. c. 3. §. 8. Praesens Andreae Decretum sublestae primum fidei, aut certe inualidum, utpote vi et metu, quin fraude

etiam a factionis non tam impetratum, quam exortum esse.

Verum quod pace tanti iuris-consulti dicere liceat, hoc, quod asseruit, non probauit. Nam quod ait

1) Decretum istud ab eo, quod Rainaldus ad annum 1231. anna. Eccl. edidit, esse diuersum, adeoque falsum, et supposititium, aut si hoc dici nequeat, certe sensu Partis 2daetti 12. op. Decr. Trip. dicendum sit, reuocatum esse, nullius sane est ponderis: constat enim Decretum a Rainaldo editum in comitiis anni 1234. Andream eo consilio edidisse, vt sinistras, quae in Decretum anni 1222. Subinde fieri coeperant, interpretationes sufferret, constat posterius Rainaldi Decretum prioris illius, vt aiunt, confirmatorium, nec re ipsa ab eo diuersum esse, quemadmodum Ill. Palma in Notitia rerum Hung. editione 3tia T. 1. p. 640. adeo egregie ostendit, vt nullum amplius seu de fide, seu de coherentia vtriusque huius Diplomatis superesse possit dubium. Sed nec illud, quod adducit

2) Profuxisse nempe Decretum nostrum ex promissione illicita, qua Andreas, dum arma aduersus Regem Emericum fratrem corripere, Hunga-

ris promississet, se ingentes eis libertates daturum, modo ei assisterent, melioris notae est. Nam promissionis istiusmodi nec Scriptores historici, qui ceteroquin excitatos ab Andrea contra Emericum tumultus ingenue recensent, nec Andreae Diplomata, quorum sat magna copia est, meminerunt.

Deinde Andreas contra Emericum bis arma corripuit, nimirum 1196, et 1203. vel igitur ad illam primam, vel ad hanc secundam rebellionem promissione illicita Andreas Hungaros pellexit: ad primam illam pellicere non potuit, quia Godofredus Monachus apud Freherum T. 1. p. 366, inquit: *Orto inter eos (Emericum videlicet et Andream) bello, victoria potitus est Andreas, auxilio Ducis Austriae Lupoldi*, Andreas ergo non Hungarorum, verum Austriae Ducis auxilio contra Emericum hac vice arma corripuit.

At neque ad secundam rebellionem suscitandam Andreas promissione illicita usus est, quia iterum constat ex Thomae Archidiaconi Historia Salon, c. 24. eos omnes, qui Andreae adhaeserant, viso Emerico, arma cum pudore, ac pauere deposuisse, atque Andream ab ipso Eme-

rico citra minimam resistantiam captum in custodia mitti admisisse, quod utique nunquam futurum fuisset, si tam ingentem, ut dicitur, promissionem, ab Andrea sibi factam, habuissent Hungari. Quid quod si etiam hanc promissionem Andreas ipsis fecisset, anne vi huius ab eo, qua Rege in Solio collocato, illi quidquam petere potuissent? vel petierunt? minime: neutrum enim ostendi potest. Cf. Brunnerus l. c. T. 3. p. 602. sqq. Spondanus ad annum 1298, n. 2. — his subiungit idem Saxo

3) Quod Hungari, ut gratiam Andreae obtineant, in mortem Ladislai pupilli Regis cooperati fuerint, quo is facilius Rex fieret, unde etiam inquit, factum, ut hae tantae libertates, quas Decretum nostrum complectitur, ab Andrea negari non potuerint.

At nemo, qui historiam Hungariae, ut aiunt, vel a limine salutavit, tam peregrinus est, quin sciat, Regi Ladislao Hungaros fuisse addictissimos, hacque de causa iram Andreae eos, ac praecipue Ioannem Archi-Episcopum Colocensem experiri debuisse, quo viso constantiam quoque Emerici Regis viduam, ut suae, filique sui salutis confuleret, in plurimum antistitum, regnique optimatum

tum comitatu in Austriam ad Leopoldum Ducem vna cum filio sese recepisse, ibidemque Ladislaum obiisse omnes norunt, proinde in mortem Ladislai, vt praetenditur, non poterant cooperari Hungari. Cf. Chronicon Admontense apud Hier. Pez. T. 2. col. 195. Ill. Palma l. c. p. 580. — post haec proseguitur

4) Quod Hungari teste Thoma Archi-Dacono l. c. c. 26. et epistola Andreae ad Honorium Pontificem scripta, quam Pray annal. T. I. p. 214. recitat, postquam Andreas mortuo Ladislao promissas libertates largiri renuisset, cum veneno sufferre attentauerint, atque ita metu veneficii effecerint, vt quidquid vellent, Andreas resolveret,

Id quidem, quod Andreae ex Palaestina reduci in itinere [venenum porrectum fuerit, et ex Thoma Archi-Diacono, et ex epistola Andreae elucet, at venenum hoc ab Hungaris, et in Hungaria ei exhibitum fuisse, nec Thomas Archi-Diaconus, nec Andreas in sua epistola asserit, vnde odio confictam hanc narrationem rectissime iudicat Putschius apud Wig. Hund Bayr. Staatsbuch. p. 36. Denique

5) Inquit idem Hieronymus a Saxo factiosi Andream coegerunt, vt Decretum istud edere debuerit, atque adeo illud velut factione, vi, et metu extortum, nullum sit.

Si ad historiam reflectamus, docet haec quidem statum regni Hungariae sub Andrea fuisse turbis domesticis inuolutum, idque duabus potissimum de causis, quarum prima fuit Bertholdus Reginae frater; altera Regis Andreae improuida, et satis diuturna e regno absentia: Nam dum in Palacstinam abiret, pro eo, vt Palatino domi relicto, regni Guberniam commisisset, illud potius Archi-Episcopo Strigoniensi credidit, cui postmodum nec Palatinus, tanquam primam post regem in regno occupans dignitatem, nec eius Exemplo reliqui paruere, hinc *excusso*, inquit Ill. Palma l. c. p. 600. *legum iugo, positoque regiae maiestatis metu, cuncta pro libidine agere, nemini obtemperare, equestrem Nobilium ordinem opprimere, ac in seruitutem redigere interea assueuerant; Limetaneorum prouinciarum summum in fidei suae commissos imperium exercere, multi Parochiani Comites regii ca-*
stri

stri comitatensis tributum omne, suum
 facere, quin ipsa adeo praedia, et terras
 ad castrum spectantes in suam redigere
 ditionem, alii alios protentus regios dir-
 ripere, ac bona S. Coronae dicata, unde
 reges Hungariae pro dignitate viuere,
 summorumque Imperantium onera tolera-
 re solebant inter se patiri, non sibi crimi-
 ni duxere, a qua peculium regium depra-
 dandi licentia ne Praelati quidem Eccle-
 siarum immunes fuere. — — Sed neque
 Bela Rex (filius Andreae) omni tum culpa
 vacabat, assentatorum enim consiliis cor-
 ruptus, regia potestate, quam solius pa-
 tris gratia ad tempus exercuerat, sese ab-
 dicare, eundemque se superiorem agno-
 scere detrectabat, sic geminis regibus, pa-
 tre ac filio ab se inuicem dissidentibus,
 procerum quoque, ut cuiusuis seu utilitas,
 seu cupiditas suadebat, studia geminas in
 partes diuisa, discordiis domesticis cau-
 sam praebuere. — Has tamen discordias in
 publicam iuisse seditionem adeo, ut aduersus re-

gem arma corriperentur, eique vis quaedam illata fuisset, nec Scriptorum vllus, nec Decretum ab Andrea conditum memoriae prodidit, imo ex Decreti articulis 2. 13. 14. 28. et 29. contrarium discimus, prohibentur enim per hos articulos vis, potentia, et quaecunque bonorum regionum dirreptiones, ac nobilium, et plebis oppressiones, quod vtique, si tanta contra Regem fuisset conspiratio, nunquam futurum fuisset. Quamobrem si historiam illorum temporum cum ipsis in Decreto nostro conditis articulis combinemus, fatendum est, illud reipsa absque omni factione, vi, et metu conditum extitisse, praecise vt iuribus, et prouentibus regiis, nobilitati, et plebi oppressae consuleretur. Cf. literae ab Andrea Pontifici scriptae, quas cl. Pray annal. T. 1. p. 204. 205. et 214. recitat.

At vero simus etiam aliquantulum liberales, supponamus Decretum nostrum ex taediosa rebellionem profuxisse, quale inde lucrum capiet Hieronymus a Saxo? certe nullum, quia tunc valebit regula, quam Ill. de Martini in Iure publico vniuer. §. 297. his verbis exponit; *si cum rebellibus Imperantes pacta ineant, putant aliqui ista non stringere. Verum qui*

qui cum illis paciscitur Imperans, eo ipso reatus gratiam censetur facere, atque adeo servare debet, quod promisit, quamvis etiam in captiuitate ad id fuisset inductus, quum secus nulla foret ad Vnionem cum seditiosis redeundi ratio. Et profecto si pax Westphalica post ferale illud bellum conclusa, quo vniuersa Germania per annos 30. exarserat, non modo ab Imperio Germanico, sed et ab vniuersa Europa pro fundamentali Imperii lege agnoscitur, non minoris certe Andreae Decretum a Regibus in regimine succedentibus, data etiam iurisiurandi fide, acceptatum, imo ut habet ar. 4. §. 3. 1687. erga oblationem, et propositionem regiae maiestatis confirmatum, apud nos esse potest auctoritatis.

§. XIII.

Quum autem per istud Andreae Decretum omnia ea, quae sub priscis illis legibus fundamentalibus (§. 10.) continentur, non essent exhausta, cursu temporum aliae quoque leges perlatae sunt, quibus confectum, ut iam hodie et Iura Maiestatis regiae, et re-

gni libertates (§. 11.) in maxima collocarentur luce. (a) Quod cum iterum per modum pacti inter Reges ex vna, omnesque status ex altera parte factum sit (b) eatenus etiam atque etiam his legibus vis legum fundamentalium denegari nequit. (§. 5. et 11. d.)

(a) Ne leges has adducto alioquin earum fonte ferretur, atque iterum repetere cogamur, postquam in specie iura Regis, et statuum exposituri sumus, eas infra adducemus.

(b) Ita leges in hungaria esse perlatas constat ex conclusionibus Decretorum, quae in corpore iuris hungarici occurrunt, ex quibus vel maxime legi meretur conclusio Decreti Alberti Regis pagina ibidem 205. quae sic habet: §. 1. *Adiicimus praeterea, ac nostro, ac praedictae Dominae Reginae, consortis nostrae nominibus spondemus — — — §. 2. — — — prout et ipsi omnes (regnicolae) vniuersaliter, id ipsum se facturos sponderunt. —*

Vide etiam Ferdinandi I. Diploma super editis in anno 1546. Diactalibus articulis emanatum pagina corporis iuris Hung. 399. et aliud p. 418.

§. 2.

§. XIV.

Praeter leges habet quoque Hungaria etiam pacta cum Regibus suis inita, quae illi articulorum Diplomaticorum nomine (a) veniunt. In his pactis iurium, et legum regni conseruatio promittitur, (b) Coronae Regiae custodia ordinatur, (c) auulsorum a regno tenutorum recuperatio (d) assumitur, stabilita hereditaria successio (e) repetitur, successorumque Regum secuta redditur (f) inauguratio, aliaque (g) his similia; dubium proinde nullum est, quin haec pacta (h) post leges fundamentales proximum sibi vendicent locum.

(a) Ita illa appellat ar. 2. 1687. hoc vero ordine se excipiunt, et in corpore Iuris hungarici sub adnotatis paginis reperiuntur.

Vladislai II. de anno 1490. T. 1. p. 252.

Ferdinandi II. de anno 1618. l. c. p. 708.

Ferdinandi III. de anno 1625, l. c; p. 777.

Leopoldi M. de anno 1655. T. 2. p. 7.

Caroli III. de anno 1712. l. c. p. 91.

Mariae Theresiae de anno 1741. l. c. p. 191.

(b) Hanc promissionem Praedecessorum suorum vestigiis insistens Maria Theresia l. c. §. 3 ita exprimit;

Quod praeter ab antiquo deductam here-

di-

ditariam regiam successionem, coronationemque in reliquo vniuersas communes istius regni hungariae partiumque annexarum libertates, immunitates, priuilegia, statuta, communia Iura leges et consuetudines a diuis quondam hungariae Regibus, et gloriosissimae memoriae Praedecessoribus nostris hactenus concessas, et confirmatas, in futurumque concedendas, et per nos confirmandas, exclusa tamen et semota articuli Decreti diui Andrae Regis II. de anno 1222. clausula firmiter et sancte obseruabimus, per aliosque omnes, et singulos inuiolabiliter obseruari faciemus. Cf. Caroli §. 5. Leopoldi §. 2. Ferd. III. §. 2. Ferd. II. §. 7. Vladisl. II. §. 2. Diplomata.

- (c) Custodia haec l. c. §. 4. ordinatur his verbis: Sacram regni coronam iuxta veterem consuetudinem ipsorum regnicolarum, legesque patrias per certas de eorum medio vnanimiter ad hoc delectas, et deputatas personas seculares in hoc regno conserua-
- bi-

bimus. Cf. Caroli III. §. 6. Leop. §. 11. Ferd. III. §. 11. Ferd. II. §. 16. Vladisl. II. §. 4.

(d) De hac l. c. §. 5. sic sonat: *hactenus recuperata et exposit Deo adiuuante recuperanda quaeuis huius regni, partiumque ei annexarum tenuta, et partes ad mentem etiam iuramentalis formulae praenotato regno, et eidem annexis partibus de toto reincorporabimus.* Cf. Caroli §. 7. Leop. §. 12, 16. Ferd. III, §. 12, 15, 16. Ferd. II. §. 17, 20, et 21.

(e) l. c. §. 6. ita habet; *Quod in casu, quem Deus procul auertere velit, defectus utriusque sexus Archi-Ducum Austriae, praecipuis quidem ab altesato genitore nostro, dein in huius defectu a diuo olim Iosepho, his quoque deficientibus, ex lumbis diui olim Leopoldi Imperatorum, et Regum Hungariae descendentium, iuxta etiam dictamen praecitatorum 1. et 2. articulorum praefatae diaetae anni 1723. praerogatiua regiae electionis, coronationis*

*nisque antefatorum statuum, et ordinum
in pristinum vigorem, statumque redibit,*

— — Cf. Caroli III. §. 8. Diploma.

(f) De hac §. 7. l. c. ait: *ut praemissum est, toties, quoties eiusmodi inauguratio regia intra ambitum saepesati regni Hungariae successivis temporibus diaetaliter instauranda erit, toties heredes et successores nostri futuri neo coronandi hereditarii reges, praemittendam habebunt praesentis Diplomaticae affecurationis acceptationem, deponendumque superinde iuramentum.* Cf. Caroli III. §. 9.

(g) Veluti sunt comitorum omni triennio celebratio, negotiorum regni ab Hungaris pertractatio, confiniorum ad mentem legum prouisio, atque gubernatio, prompta iustitiae administratio, liberum receptae semel religionis exercitium, Palatini electio, metarum regni cum vicinis populis re-
ctificatio, et denique belli gerendi ratio. — De quibus vide Vladisl. II. Ferdin. II. Ferdin. III. Leopoldi. I. Diplomata.

(h) Hieronymus a Saxo l. c. c. 1. §. 10. putat,
pacta

pacta nullum effectum producere, *Naturae*,
 inquit, *Monarchiarum aduersum est*, pa-
 cta inire cum subditis, maxime, si iure
 iurando confirmantur: obligatio haec est
 seruituti, quam imperio propinquior. Hinc
 gaumuis Hungariae reges a Ferdinandi I.
 temporibus libertates Nobilium se conser-
 uaturos sub iurisiurandi fide ante apro-
 mittant, quam regni capebant insignia,
 nulla tamen exinde promanat obligatio.

Sed enim, iam a primis regni initiis primum
 Duces, dein Reges quoque sub iurisiurandi fide
 adire regimen fuisse solitos testis est Anonymus
 Belae Regis Notarius c. 6. et 10. testis est M.
 Turoczius in Chron. P. 2. c. 37. Par. 4. c. 29.
 testis est Ladislaus Posthumus, qui in conclusio-
 ne Decreti sui de anno 1454. §. 1. sic loquitur:
 atque super primo eorundem (videlicet arti-
 culorum) solito more regale corporaliter
 praestitimus iuramentum. Testis denique
 est in Vladislai II. Decr. anni 1492. ar. 9. qui
 ita habet: *ultra autem centum* (Iobagiones)
conferat cum consilio Praelatorum, et

Baronum suorum, prout continetur in litteris iuramentalis suae maiestatis.

Vt adeo crassa, quam hic Hieronymus a Saxo, in temporibus Ferdinandi I. initia regalis iuramenti desigens, prodidit, rerum hungaricarum ignorantia, penitus excusari nequeat; vt infra clarius adhuc exponetur. Insultum vero Dogma illud, quod pacta Reges inter, et subditos inita non teneant, hoc loco refellere, nec necesse, nec in animo est, quoniam illud iam Grotius de iure belli, et pacis L. H. c. 14. §. 11. Ziegler de iure maiestatis Ex. 4. Thesi vltima, III. de Martini iur. publ. §. 239. et 379. atque plenius de Ludevig edito integro opusculo bonae frugis pleno, quod octauum est operum eius Academicorum, refutauerint, et alioquin certum sit, quod Reges profecto qua honesti homines pactis, atque promissis stare teneantur.

§. XV.

His diplomatum regionum articulis iungendae sunt etiam conuentiones publicae, quarum non paucae, et grauioris momenti reperiuntur in Hungaria. Quoties enim furor
ali-

aliquis Hungariam percusserat, toties propter bonum pacis, tranquillitatemque regni publicam conuentiones istiusmodi fuisse initas, patriae docet historia; ex omnibus tamen praecipua est, et singulari consideratione digna, quae sub nomine pacificationis Viennensis venit (a) Nam sub garantia ibidem (b) expressa non modo plurima, quae ad statum regni publico politicum, et ecclesiasticum pertinent, complectitur, sed etiam pacta inter status catholicos, et protestantes exhibet.

(a) Extat illa in Corpore Iuris Tom. 1. p. 643.

(b) Vide eiusdem §. 26 et 27. p. 647.

§. XVI.

Habet Hungaria leges fundamentales, ac sibi proprias (§. 10. seqq.) habet pacta cum Regibus suis inita (§. 14.) habet igitur ius publicum particulare, ac sibi proprium (§. 9.) quod in hunc modum recte definiri potest, quod sit *scientia formam regimniis publici regni Hungariae, iuraque, et officia regis, ac statuum, ex pactis cum regibus initis, ac legibus fundamentalibus scriptis, et non scriptis explicans.* (§. 10. et 11.)

E

§. XVII.

§. XVII.

Ex quo iterum apertum est: Ius publicum regni Hungariae, primum quidem a iure eiusdem civili privato, deinde a notitia eius statistica, et tandem politica speciali differre. Nam ius publicum de statu regni publico, regisque, ac statuum nexu mutuo (§. 16.) priuatum de negotiis priuatis, ac domesticis singulorum propria iura tangentibus agit: Notitia regni statistica latissime patet, complectitur enim et historiam regni pragmaticam, et geographiam, et politicam, ipsamque iuris publici scientiam tanquam partem. (a) Politica demum dum commoda, et incommoda regni scrutatur, horumque remedia suppeditat, artem simul docet prudenter gubernandi rempublicam. (b)

(a) Godof. Achenvahl in der Vorbereitung von der Statistik überhaupt.

(b) Ill. de Martini Exer. §. 227. Balthaf. Adam. Kerchelles in Instit. politicis Ms.

§. XVIII.

Ius publicum regni Hungariae scientia est (§. 16.) suos igitur fontes, e quibus cognitio eius peti possit, habere debet. Ex his fonti-

bus alii *communes* sunt, alii *proprii*, ac *domestici*. Ad communes refertur cum primis iurisprudentia publica vniuersalis (§. 7.) domestici vero ac proprii fontes sunt; leges regni maxime fundamentales, pactorum, et conventionum publicarum Tabulae, obseruantia, seu consuetudines. (§. 10. 11. et sqq.)

§. XIX.

Enimuero iurisprudentia publica vniuersalis complectitur generalia de officiis imperantium, et subditorum mutuis ex ipsa societatis civilis natura, et fine deducta principia (§. 7.) quorum ductu quum in omni particulari iure publico (§. 9.) explicari obscura, incerta affirmari, refelli fabulosa, expediri, intricata possint. (a) Sufficiens adest ratio, ob quam iuris publici particularis Hungariae fons communis esse ponitur, iurisprudentia publica vniuersalis. (§. 18.)

(a) Cel de Martini Exer. §. 234. 236. et 244.

§. XX.

Inter leges regni Hungariae censentur I. Leges illae, quibus maiores nostri summum in Hungaria fundarunt imperium (§. 10.) II.

Decreta regum (§. 12. et 13.) quorum quaedam in libros, et capitula, quaedam in articulos (a) diuisa sunt. III. Opus tripartitum, in tres nempe partes, quarum quaelibet suos titulos habet, diuisum.

- (a) Nimirum S. Stephani, S. Ladislai, et Colomani in Libros, et capitula, reliquorum vero Regum Decreta, si vnum Caroli I. in paragraphos diuisum excipias, in articulos diuiduntur.

§. XXI.

Quod primi ordinis leges attinet, quum illae fide integra (§. 10.) prima eam illam fundati in Hungaria imperii sponsionem, cuius in omni ciuitate praecipua debet esse ratio (§. 8.) contineant, atque certum (a) suppeditent fundamentum, ex quo regni Hungariae forma regiminis publici, iuraque, et officia regis, ac statuum explicari possint, ac debeant, profecto verissima sunt non modo iuris nostri publici origo, verum etiam fons praecipuus, cui publica fides tribuenda est.

- (a) Examinavit eas accerrimus ille rerum hungaricarum Criticus Adamus Kollarius, et post insti-

tutum diligens examen hoc de illis l. c. p. 103. tulit iudicium: *Nihil, inquit, dignius literis, nihil posteris vtilius ad nos transmittere poterat idem Belae Notarius, sunt enim et esse debent eae leges, tametsi perpaucae sint, tantae apud nos auctoritatis, tantique momenti, vt vniuersi iuris nostri publici verissima origo possint merito dici.* Cf. Math. Bel. Praef. apud Schwandtner T. 1.

§. XXII.

Regum Decreta (a) ex mutuo regis, et ordinum consensu emanarunt in Hungaria (b) proinde seu antiqua iura firment, seu noua sanciant, seu dubia (c) interpretentur, vim legum publicarum habent, et genuinum iuri publico fontem suppeditant; propria enim, eaque pacititia (§. 13.) Regis, et statuum confessio, certissimum principium est, e quo vtriusque iura, atque officia mutua cognoscantur.

(a) Caue tamen ne vitae regalis descriptionem, quae Regum Decretis in corpore Iuris praemissa est, eandem cum ipsis Decretis vim habere putes; privati hoc opus Editoris est, historica fide saltem dignum.

(b) Patebit istud, quodcumque Decretum quis inspexerit.

(c) Caue iterum ne subiectas infra Decreta saepe etiam ineptas glossatorum interpretationes pro genuino Regis, et ordinum foetu accipias; quas enim Reges cum ordinibus faciunt interpretationes cae per conditam articulum fiunt, ique ipso Decreto continentur.

§. XXIII.

Opus tripartitum, si primarium eius scopum spectes, compillatum illud est, ut certam tribunalia in iudicando haberent normam. Cum enim obseruatum fuisset grauissimis in causis sententias ex consuetudine, aut potius arbitrio iudicum, quam legum praescripto ferri, in comitiis anni 1498. primum Magistro *Adam* commissum fuerat, ut genuinas iudiciorum consuetudines colligeret, et regi; atque ordinibus probandas offerret, (a) qui cum id neglexisset, in proximis comitiis decretum erat, (b) ut, qui a consiliis Regi Budae futuri essent, istiusmodi consuetudines, ac iura regni, quae in iudiciis allegari consueuerunt, conscriberent, a quibus postquam iterum nihil praestitum fuisset, semel (c) atque iterum (d)

(d) persimilis constitutio repetita, tandem Regem Vladislaum II. eo permouit, vt laborem hunc Stephano Werböczio (e) imposuerit.

(a) ar. 6. 1498.

(b) ar. 10. §. 5. et 6. 1500.

(c) ar. 31. 1504.

(d) ar. 20. 1507.

(e) Patet istud ex praefatione Werböczii ad Vladislaum Regem, et Diplomate ipsius Vladislai, quod Tripartito sub initium, et finem insertum est.

§. XXIV.

Paruit Regi Werböczius, sed cum non fuisset multum sollicitus, vt a iudiciariis, quae scribendae erant, consuetudinibus historica, et publica resecaet, multa ad historiam, (a) et quaedam ad ius publicum (b) pertinentia, tripartito suo iuris consuetudinarii operi inseruit, atque ita post aliquot annos ex iis, quae vidit, audiuit, didicit, a se concinnatum opus (c) regi, atque ordinibus in comitiis anni 1514. exhibuit, quod postquam legibus, moribus, et consuetudinibus Hungariae conforme comitia (d) adinuenissent, Vladislaus id (e) auctoritate sua roborauit, sanxitque, vt

iuxta illud de capite et fortunis omnium deinceps iudicaretur.

- (a) Exempla istiusmodi historica occurrunt praecipue in Partis I. Titulo 3. ex quibus speciale est illud, quod eodem loco §. 2. de mucrone sanguinis aspergine tincto recenset.
- (b) Ex his singulare est, quod in Partis II. Titulo 3. de Iure, et modo ferendarum in hungaria legum exposuit.
- (c) Fatetur ipse Werböczius in Praef. ad Vladislavum se nullas novas leges, aut consuetudines scripsisse his verbis: *Nemo autem id sibi persuadeat, me tantum mihi auctoritatis vendicasse, ut novas aliquas leges offerre ac superaddere fuerim ausus, sed ea duntaxat, quae a maioribus meis accepti, quaeque observavi, in pertractandis iudiciis, causisque discutiendis vidi, audiui, didici, in vnum quasi volumen contuli, digessi, consilio tamen cum ceteris meis collegis (Protonotariis) et patrii Iuris, ac consuetudinum non ignaris prius com-*
mu-

municato. — Quod profecto negare non audebunt, qui Tripartitum nostrum iuris consuetudinarii opus cum Decretis anteriorum Regum, et Diplomatum, quae hinc inde prostant, contulerint. Decreta Regum in corpore Iuris reperiuntur, ex diplomatibus vero singularem attentionem meretur illud Mathaei Bani in Tabulario Regni Croatiae fasciculo I. sub Nro. 3. asseruatum, quod Rf. Balthasar Kerchelich in notitiis praeliminaribus p. 201. per extensum exhibuit, cui nos quoque plura alia subnectere possemus, si instituti ratio pateretur, ac ideo ex quam plurimis, quae prae manibus habemus, vnum saltem ex collectione cel. Kollarii Tabulario Augustae Domus illata Tom. I. in Andrea Rege subiungimus ita sonans: *Capitulum Ecclesiae Beati Michaelis Transylvaniae — — omnibus, ad quos praesens scriptum peruenerit salutem, ad vniuersorum notitiam volumus peruenire praesentium per tenorem, quod anno Dominicae Incarnationis M. CC. XXXI. Iosb filius Pech ad nostram accedens presentiam (igitur capitula iam hoc tempore locus fidedignus erant) quandam terram*

suam iuxta morus adiacentem, medietatem videlicet terrae Gumbai vocate, quam a Kege comparauerat, et qui etiam alteram medietatem idem Kege capitulo Ecclesiae Beati Michaelis adhuc Iuuenis donauerat, cum omnibus vtilitatibus, et pertinentiis dixit se vendidisse ex consensu, et bona voluntate cognatorum suorum, scilicet samson — — Obus — — nec non et cometaneorum suorum Pousa Woyuode et Thobie (deoque iam olim perrenales venditiones, de quibus Tripartitum par. 1. T. 60. et 61. agit, ex consuetudine regni cum consensu consanguineorum, et Cometaneorum fieri debebant, quoniam eatenus in anterioribus Regum Decretis nihil constitutum reperitur) Comiti Obus filio Michaelis perpetuo iure possidendam pro viginti marcis argenti plenarie persolutis obligando etiam coram Nobis se, et suos heredes, vt si quispiam processu temporis ipsum Obus pro terra ante dicta molestare attemptaret suis sumptibus, et expensis defensare teneretur. —

Vnde ius euictionis antiquissimum in Tripartito par. 1. T. 74. seqq. nec alibi expressum elucet. Si nihilominus contra spem, et opinionem nostram tamen nouas leges, et consuetudines Werböcziam scripsisse quispiam his minime contentus vult contendere, cum rogamus, vt certam legem, aut consuetudinem in Tripartito nostro reperiri demonstret, quae antea in hungaria non obtinisset.

- (d) Quod Werböczius Tripartitum Regi, atque ordinibus exhibuerit in Comitibus, et hoc in iisdem examinatum, atque approbatum fuerit, testatur 1) supra commemoratum Vladislai diploma, quod sic habet, *Demum nobis in praesenti conuentu, et congregatione generali eorumque vniuersorum Praelatorum, Baronum, et Regni huius Nobilium, quam eiusdem certis, et arduis causis ad festum Beati Lucae Euangelistae proxime praeteritum indixeramus constitutis iisdem Praelati, et Barones, ac Nobiles vniuersi nostrum accedentes in conspectum, quemdam libellum gentilitia, municipaliaque iura, ac leges et consuetudines eorum vetustas, et*

receptas continentem nostro iussu a praefato Magistro Stephano (Werböcz) collectum, et conscriptum Nobis obtulerunt, supplicantes, ut, quia ipsi eum libellum in cunctis suis clausulis, articulis, et capitulis — — — perlegi, reuideri, discuti, et examinari faciendo super eorum legibus, et approbatis consuetudinibus recto ordine, et debito modo conscriptum esse agnouissent, propterea ipsum libellum, et omnia in eo contenta, quoad omnes clausulas, sensus, capita, et articulos in forma nostri priuilegii redigi faciendo admittere, et approbare, eisdemque, et eorum heredibus, ac posteritatibus pro perpetuis legibus, et consuetudinibus ualiturum auctoritate nostra regia, et de regiae nostrae potestatis plenitudine roborare, et confirmare dignaremur. — Testatur 2) Comitiorum eorum anno quippe 1514. celebratorum articulus 63. qui sic sonat: *Item quod uniuersa Decreta iam rectificentur, et in unum comportentur, iuraque regni*
re-

regia Maiestas statim perlegi facere, et perlecta confirmare, confirmataque, et sigillata ad singulos regni Comitatus remittere dignetur.

Nam ordinatur per hunc Comitiorum articulum 1) Decretorum rectificatio, 2) comportatio, 3) a Rege perlectio, 4) Confirmatio, 5) Sigillatio, 6) ad comitatus remissio, seu transmissio; quas notas si paulo diligentius examinemus eae manifeste ostendunt, Tripartitum ea prorsus ratione, quam Vladislaus suo Diplomate complectitur, fuisse exhibitum, et reuisum:

Enimuero rectificatio locum non habet, nisi in substrate, quod iam existit, sic rectificatio diuisionis, rectificatio metarum fieri vtiq; nequit, nisi diuisione facta, et metis erectis, adeoque nec rectificatio Decretorum ordinari potuisset, si Decreta, iam a Werböczio in vnum corpus reducta, non fuissent Comitibus exhibita (§. 23.)

Comportari illa tantum possunt, quae ex originali describuntur, ordinata igitur comportatio indicat, originale praeeexistisse, ex quo nimirum exemplaria ad comitatus mittenda describi debebant.

Sed nec perlectio, nec confirmatio, nec sigillatio, nec denique ad Comitatus transmissio Decretorum ordinari potuisset, nisi reuera opus praesto fuisset, atque ideo ex his etiam notis patet opus Tripartitum in Comitibus exhibitum, reuifum, atque a Rege, et ordinibus approbatum fuisse.

At nulla in Articulo horum Comitiorum Tripartiti, nulla Werböczii fit mentio, adeoque hoc articulo perinde ordinata primum fuit legum, et consuetudinum collectio, quemadmodum per priores leges (§. 23.) ordinabatur.

Verum nec Tripartiti, nec Werböczii vlla debuit, aut potuit fieri in articulo hoc mentio, nam eo ipso, quod a Rege, et ordinibus Tripartitum reuifum, et legibus, ac moribus conforme adinuentum fuerit, desiit esse opus priuatum Werböczii, et Decreti nomine compellandum erat, eo, quod in factum Regis, atque ordinum transfuerit.

Quare igitur in Comitibus anni 1527. ar. 3. Decreta regni in vnum corpus redigi ordinata? quare anno 1538. ar. 21. Jurium regni reuifio adurfa? quare anno 1550. ar. 10. et 11. haec eadem reuifio acclerari demandata? si opus Tri-

partium in Comitibus anni 1514. reuifum, approbatumque fuit. Huius rei ex Ipfis his articulis ratio patet; cum enim ftatus cernerent in Tripartito confuetudines quidem omnes, decreta uero regum pauciffima contineri, horum quoque per posteriores has leges perinde ut antea confuetudinum collectionem ordinarunt, ac ideo quod post annum 1514. Decretorum regionum, ut habet ar. 3. 1527. collectio ordinata fit, non fequitur tripartitum iuris confuetudinarii opus non fuiffe in comitibus approbatum, quin potius eo ipfo, quod nullibi in posterioribus his legibus confuetudinum, ut antea, collectio ordinetur, illud approbatum, receptumque fuiffe concludi debet. Certe anno 1552. qui eft ab anno 1514. annus 38. uixiffe adhuc uiros, qui tripartiti approbationi interfuerant, nemo negare potefit, atqui anno 1552. delecti illi a Ferdinando I. Decretorum collectores in praefatione quadripartiti operis, cuius compilationem ex praemiffis legibus fufceperant, aperte redögnofcunt, dudum in Hungaria tripartitum fuiffe receptum, dum aiunt *Mandatorum Maieftatis Tuae (Ferdinandi I) tenorem fecuti leges, decreta, et iura Pannoniae Tuae, ab ipfis ufque primis diui*

Stephani Regis temporibus usque ad nostram hanc aetatem edita, et extantia diligenti examine, et trutina expendimus.

— — Secuti interim ex professo, quantum ratio instituti operis sinebat ductum, atque contextum, et ordinem tripartiti illius (Werböczii) operis — — a cuius serie propter illius vulgatum, et per plures iam annos receptum in Hungaria usum recedere visum non fuit. — — —

Cf. Pauli Walaskii dissertatio de Stephano Werböczio iuriconsulto. Isthvanfius L. 4. ad calcem.

(e) *Factum id ab Vladislao testatur conclusio saepe dicti Diplomatis ab eo editi, in qua ille sic loquitur; Ideo easdem (consuetudines) et eadem (iura) laudauimus, acceptauimus, ratificauimus, et approbauimus, atque pro annotatis Dominis Praelatis, et Baronibus, vniuersisque Nobilibus, et Proceribus ante dicti regni nostri Hungariae, partiumque sibi, ut praefertur subiectarum, eorumque cunctis successoribus, et heredibus, pro perpetuis legibus, ac iuri-*

ribus, et consuetudinibus valituras, et valitura, de nostrae regiae potestatis plenitudine confirmauimus. — — —

Ac re ipsa ex praescripto tripartiti antiquissimis temporibus fuisse iudicatum, testatur originale executionis in anno 1558. peractae, quod in tabulario camerali hungarico hodieum asseruatur, vbi inter cetera haec quoque leguntur: *Ad laudem Dei omnipotentis. Reambulatio, et conscriptio bonorum spectabilis, ac magnifici domini comitis Stephani de Fran-gepanibus — — — In comitatu Zagrabiensi existentium, habitorum, iuxta continentias literarum sententionalium de Kerchenii ex sede Banali per hominem banalem videlicet Stephanum Scytaroczy, et testimonium Capituli Ecclesiae Zagrabiensis Dominum Stephanum Presbyterum de Dombro exmissos facta Sabatho in profesto Dominicae quasi modo in anno Domini 1558. facere cepta, et continuata sequentibus diebus vsque videlicet feriam quartam post quasi modo — — —*

Castrum Ribnik muratum — — — ibidem in oppido Ribnik tributum, seu telonium prout officiales Castri sub iuramento retulerunt, annualem prouentum habet floernos 5. decies tantum facit fl. L. — — — idem oppidum Ribnik habet terras communes; inter quas sunt mixtim rubeta, et foenilia, quae mensurata sunt, mensura regali, disposita vlna regali prout in Decreto continetur; Videlicet mensura ipsa sedecies sumpta facit vnam vlnam regalem, et ipsa vlna computata in latitudine duodecies in longitudine vero LXXII. facit iuger vnum, sicque iugera regalis mensurae centum, et quinquaginta faciunt regale aratrum vnum. — — —

Quamquam enim in his executionis litteris nulla tripartiti fit mentio, quia tamen bonorum aestimatio, et iuxta mensuram regalem suscepta ad eum modum dimensio, quo vtramque ex consuetudine Partis I. T. 133. descriptam exhibet, in iis occurrunt, euidens est, eas prout in Decreto (Tripartito) continetur, peractas fuisse;

adeoque sub nomine Decreti, quod in illis occurrit, reuera tripartitum intelligi. Nam in Hungaria tratatitium est, et bonorum aestimationes, et mensuram regalem ex vsu, et consuetudine duntaxat, non autem ex Decreto aliquo regio obtinuisse, ipsumque Tripartitum nomine quoque Decreti venire.

§. XXV.

Quamobrem Tripartitum istud iuris consuetudinarii opus in historicis historicam, in iis vero, quae iustitiae administrationi, iurique publico inseruiunt, publicam, iurisque scripti (a) in regno Hungariae habet auctoritatem (b) ac proinde pro genuino iuris publici fonte perinde, vt aliae leges, quae statum regni publicum definiunt, habendum est.

- (a) Licet enim potiori sui parte consuetudines contineat, quia nihilominus hae ipsae consuetudines non amplius solius vsus vi, sed etiam iuris scripti auctoritate obseruari debent, iure merito Tripartitum, alioquin etiam Decreta Re-

gum in parte continens, speciem iuris scripti esse dixeris.

- (b) Non placent haec Hieronymo a Saxo, qui capite 4. §. 10. l. c. nullius fidei, nullius auctoritatis putat Tripartitum, dum ait: *Piget reliqua Nobilium praeiudicia longiori adhuc dissertatione prosequi, quae ex Werböczii commenta cerebro eiusdem vnice auctoritati nituntur, atque fidei, quam si euertas, de vniuersis actum est Nobilium Hungariae libertatibus. Videamus itaque quantam Werböczio deferri possit fidei, quantum competat auctoritatis; quod fidem attinet, sublaesta haec est, et eadem cum falsitate, quam enim ab infido homine fidem speres? cuius infidelitatem publicis vniuersum regnum proscripsit Tabulis: quantum vero auctoritatem concernit, nulla haec est, quin nulla inferior; quidquid enim obmurmurent Hungari coelum, terramque moueant, herculeas in subsideum sumant vires, nunquam Tripartitum Werböczii opus in publi-*
- li-

licam regni Hungariae legem abiuisse ostendent, priuati hoc opus scriptoris est, tantoque deterius, quanto infamior auctore in lucem prodiit.

Satis romane haec dicta sunt, magnamque praeseferre speciem veri videntur, sed vereor, ne in votis subsistamus: primum enim quod dicitur, Werböczium publicis proscriptum Tabulis, equidem verum est; at huc non pertinet, certum enim est, illum non propter aliquod crimen falsi antea, et quidem in opere Tripartito commissum, sed ob tumultuarium, Hatuanini celebratum conuentum, vt habet ar. 32. 1526. proscriptum esse; certum deinde est hanc proscriptionem per ar. 26. 1526. adeoque postquam Tripartitum in Regis, atque Ordinum fidem transiit (§. 24.) accidisse; fuerit igitur postea Werböczius qualis esse voluerit, id huc tanto minus pertinere potest, quanto certius est, quod fidem eius eodem proscriptionis tempore Rex, et regnum agnouerint, postquam per citatum ar. 32. 1526. donationes ab eo expeditas confirmauerunt, nec vllibi Tripartitum damnauere.

Alterum vero illud, quod nunquam in publicam hungariae legem Tripartitum abiuerit, tantum abest, ut Tripartiti auctoritatem nullam, et nulla inferiorem esse, euincat, quin potius illam stabilit, atque consolidat; etenim qui ex professo aduersus Tripartitum obmurmurat, qui Coelum terramque mouet, qui herculeas in subsidium sumit vires Hieronymus a Saxo, ut illius auctoritatem euertat, utique se ab eo premi, eiusque magnam esse in hungaria auctoritatem eo ipso agnoscit, Nam cuius nulla, imo nulla inferior est, veluti M. hometani codicis, in regno hungariae auctoritas, non indiget vlla cum tanto verborum apparatu impugnatione. Ac profecto magnam esse Tripartiti in regno hungariae auctoritatem docet vsus trium fere seculorum, docent conditiones Diplomaticae Ferdinandi II, p. 709. §. 11. Ferd. III, p. 778. §. 6. Leopoldi M. p. 8. §. 6. docent ar. Comitiorum, et praecipue ar. 18. 1635. ar. 5. et 6. 1723. ar. 8. 1741. Quamobrem ad haec respondeat Hieronymus a Saxo, aut victas cedat manus, opinionemque eiuret, tantorum Regum Maieitati, eorumque in Tripartito expositis iuribus, communi bono, quin pri-

priuatæ etiam salutis, et denique veritati contrariam.

At inquit ille ex Werböczii ad Lectorem præfatione circa finem constat, 1) in Diplomate Vladislai a nobis supra relato sigillum regis, quod sensu Partis II. T. 13. et 14. in diplomatibus necessarium est, defuisse, nec 2) Auctoritate Vladislai, verum post mortem illius auctoritate solius Werböczii Tripartitum impressum, promulgatum que extitisse, ad hæc 3) Inter Diploma Vladislai, et Tripartitum contradictionem intercedere: Diploma inquit non de Tripartito in partes, et Titulos diuiso, sed de quodam libello in capita, titulos, et articulos distributo, adeoque a Tripartito Werböczii diuerso sonat, ac ideo, concludit, si etiam Diploma cum defectu sigilli aliquam haberet auctoritatem, nihilominus Tripartitum, quoniam nec cum diplomate conueniat, nec forma debita promulgatum sit, nullius potest esse auctoritatis.

Verum enimvero si Werböczii fides, et auctoritas valet contra Diploma Vladislai, eadem etiam valere debet, pro eo, quod Vladislaius Tripartitum, vt Werböczius fatetur, in Comitibus approbauerit, quo utriusque stante, seu sigillum Diplo-

mati fuerit, seu non fuerit appensum, parum facit, Nam non a sigillo, sed a mutuo Regis, atque ordinum consensu, quem Diploma continet, vim, neruum, ac robur ita accipiunt leges in hungaria, vt si etiam 2) postea ipsarum editio a priuatis suscipiatur, illae tamdiu publica gaudeant auctoritate, donec non ostendatur, editionem ab origine discrepare, producat igitur Hieronymus a Saxo Tripartiti originale, et ex eo ostendat, modernae editionis falsitatem, si aliquid vult concludere. Sed nec 3) inter Diploma Vladislai, et Tripartitum vlla intercedit collisio, quae enim videtur esse, illa ex stylo, qui tempore Vladislai vixit, promanat, nam persimilis quoque est confirmatio Decreti I. eiusdem Vladislai Regis de anno 1492. licet Decretum illud nec in clausulas, nec in capita diuisum sit, en ipsius Decreti ex corpore Iuris p. 282. descriptam confirmationem: *Nos igitur — praescriptos articulos videntes, et considerantes — — laudauimus, et approbauimus, — ac stabili Decreto valituros confirmauimus, imo laudamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus promittentes in omnibus*
clau-

clausulis, capitulis, et punctis obseruare, et facere obseruari, praesentis scripti patrocínio mediante.

§. XXVI.

Nec a solis legibus Iuris publici cognitio dependet, verum etiam pactorum conuentorum, conuentionumque publicarum habenda est ratio. (a) Nempe explicant haec statum cuiusuis regni publicum, definiunt iura Imperantium, et subditorum, quod praecipuum est Iuris publici obiectum, idcirco tam pacta cum Regibus inita (§. 14.) quam conuentiones publicas inter fontes Iuris publici Hungariae (§. 18.) collocare, fidemque publicam iis tribuere nullus dubitabit.

(a) Maichelius l. c.

§. XXVII.

Post leges, et pacta in Iure publico regni Hungariae magna est consuetudinis au-

ctoritas (§. 11.) quod plurima ad statum regni Hungariae publicum pertinentia a consuetudine vel originem, aut vigorem capiunt, aut firmamentum aliquod mutuuntur (a) quare ut consuetudo, cuius frequens est in ipsis legibus, et pactis mentio (b) inter fontes Iuris publici regni Hungariae (§. 18.) referatur, et abusus, qui hinc manare possent, praecaueantur, sequentes de consuetudine tenendae sunt regulae.

I. Consuetudinis vsusque auctoritas a tacito eorum consensu repetitur, quorum est leges ferre, et abrogare; vnde

II. Si de consuetudine controuersia incidat, eorum erit statuere, penes quos legislatoria potestas est.

III. Tacitus consensus ex factis elici debet, quae publica, a contradictione libera, nec ex ignoran-

rantia, aut errore, vel ratione status posita sint oportet, atque adeo si ex iis, quae facta, aut ommissa sunt, tacitum supremae potestatis consensum elicere volumus, necessum est.

IV. Vt factum, aut non factum, tanquam debitum petatum, et ex hac, nec alia causa praestitum, aut intermissum fuerit. Nec opus est

V. Vt plures actus ad vim consuetudinis producendam semper concurrant, sed vel vnicum factum subinde sufficit, modo ita comparatum sit, ut consensus in futurum inde appareat.

(a) Ita in Regum inauguratione, in consultationibus publicis comitorum tempore, in Iudiciis,

ac aliis regni negotiis occurrunt plurima, quae in legibus scriptis frustra quaesueris, obtinent tamen, ac eadem religione, quasi essent scripta, non modo obseruantur, sed et a multis pupilla libertatis appellantur.

(b) Vide Egr. ar. 3. anni 1723. deinde articulos Diplomaticos supra allatos.

§. XXVIII.

Ad subsidia porro iuris publici regni Hungariae pertinet Notitia eius statistica, politica specialis (§. 17.) ars diplomatica, actorum publicorum diligens, et assidua lectio (a) optimorumque Scriptorum ad hanc iuris partem pertinentium notitia.


(a) Cel. de Martini Iur. publ. §. 251. et 242. Mascou. l. c. §. 11. seqq.

§. XXIX.

Vniuersum autem hoc iuris publici nostri studium ita subinde pertractare constituimus, vt initio de origine, territorio, ac finibus regni Hungariae, tum de sistemate circa

corpus eius politicum, ac denique sistema administrandi regiminis publici exponatur, nihilque quod ad publicam, et patriis legibus consentaneam rerum nostrarum administrationem pertineat, praemittatur: Si tamen praeter omnem voluntatem nostram error quispiam irrepserit, id vices nostras subeat, quod Iustinianus Imperator sapientissime alicubi (a) monuit, *in nullo penitus aberrare divinae solius, non autem mortalis esse constantiae.*


(a) Lege 2, §. 14. codicis de veteri Iure enucleando.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

Lelt.

14.656-1955



757860

[Blank yellowish paper label]

[Blank yellowish paper label]